

authoritatem idoneum continet, compendio exhibebat, præmittebatque tractationi dogmaticæ. Sic Basilidem descripsit: *Miserri- mum homunculum, velut poetico furore corre- ptum, circulatorum, impostorem, præstigiato- rem, Magicis artibus & curiositatibus addi- ctum: qui ad excellentem, & immensam impro- bitatem, mentem suam absurdè emovit. Occul- tat suam injustitiam ab his, qui mente præditi sunt: revelat autem ipse schola his qui ab ipso decepti sunt. Quandoquidem enim verè tur- pe est dicere, ea que apud ipsos dicuntur, ac- fiunt, &c.*

Henrico Versipelli hæretico pietatis lar- vam detraxit S. Bernardus. Breve, sed ner- vosum Petri Abailardi elogium, quale hære- ticus merebatur, copiosius Arnaldi inter ejus discipulos præcipui, dedit idem Sanctus, quantumvis mellifluus, epistola 195. *Cujus (inquit, Arnaldi) dentes arma & sagitta, & lingua ejus gladius acutus: molli sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.* Epist. 190. *Cujus conversatio mel, & doctrina venenum:* cui caput columbæ, cauda scorpionis est: quem Brixia evomit, Roma exhorruit, Francia re- pulit. Otho Frisingensis sub idem tempus li- bro 2. de gestis Frederici Imperatoris cap. 20. ait: *Arnaldum urbem ingressum, rudis populi animos præmolli dogmate accendisse ad seditio- nem, plus tamen verborum profluvio, quàm sen- tentiarum pondere copiosum.* Guntherus quo- que Ligurinus eadem ætate metro non minùs forti eundem hæreticum descripsit. Quis charitati adversum existimet, Lutheri vitia publica, etiam spurcitas commemorare, quæ si pridem graphicè depicta omnibus in- notuissent, non tam multos obtentu refor- mationis Ecclesiasticæ, charitatis, & pœ- nitentiæ fefellisset, innumerabilium exitio animarum.

Vitiorum hic dissimulatio, immitis mi- sericordia est, perniciofa, & erronea charitas. Ideo Summi Pontificis nostri verè Clemen- tissimi providentia, tam gravium errorum Authorem, fautoresque, quorum temerita- tem, & pertinaciam non levibus indiciiis, & experimento non uno habuerat exploratam, Constitutionis exordio ita perstrinxit, ut ne- mo, nisi insipiens, vel hæreticis fascinatùs præstigiis, istiusmodi errorum Magistròs im- posterum auditurus sit.

Denique dico cum Leontio lib. 3. con- tra Nestor. & Eutychem. *Nemo iniquo animo, quæ dicuntur, ferat: quoniam non sumus nos Autho- res horum malorum, quæ audiuntur, neque cau- sas præbuimus dicendorum: in multis enim li- bris mysteria eorum impia feruntur. Siquidem & ipse precarer, & optarem, ut silentio, & te-*

*nebris hujusmodi impietatis mysteria contege- rentur. Nunc verò, non ut vos malorum disci- pulos facerem; sed potius ut à gravibus malis liberarem, ad has me narrationes contuli, sum- mo studio eos fugiens, & omnibus quàm possum maximè voce dicens: Fugite vos, fugite à præ- ruptis, & barathris longè fugite.*

Ad Observationum itaque Moralium Scriptorem propiùs accedamus. Hunc se profiteretur modò Paschasius Quesnellus; quod frustra celare diutius voluisset, postquam Ju- ridicus adversùs eum processus, titulo *Causa Quesnelliana* typis editus divulgavit.

Cur autem Observationes illæ prodie- rint anonymæ, verisimilis conjectura est, nè Author suspectus sinistram de libro suspicio- nem ingereret, atque ita plurimos averteret à lætione.

Congregationi Oratorii à Berullo Car- dinale in Galliis institutæ nomen dederat; sed turbulentum ejus ingenium, & in novi- tates propensum, postquam ordinem suum motibus dissidiorum graviter concussit, adèò ut in præsens eum ruinæ adduxerit discrimen, nec in Ordine suo, nec in Patria consistere po- tuit. Moderatorum scilicet, & quidem in comitiis generalibus congregatorum man- datis, etiam accedente Regis Christianissimi Imperio, parere nolens, pœnarum metu Gal- lias deseruit anno 1685. Indè se recipiens in Belgium, novitatum illuc pestem simul, & dissidiorum facem intulit. Ut autem noceret securiùs, assumptà Sacerdos veste laicà, in Provincia licèt Catholicà, latuit, & à solito hominum commercio segregatus locum incoluit, vix paucis amicis notum, paucioribus pervium, ut scripsit ipse Cardinali Norifio anno 1687. in Hollandiam subinde profectus, illic statim Clerum novitatibus imbueret, & à Sedis Apo- stolicæ reverentiâ, atque obedientiâ abstra- here cœpit, eo successu, ut Missio illa, qua vix alia solebat esse in Ecclesia illustrior constantia in fide, pietate, charitate, Sedis Apostolicæ, & omnium decretorum ejus vene- ratione, ubique concussa sit dissensionibus, novitatibus corrupta, in fide vacillans, variis in locis schismatica. Plus illic libellorum infamium contra Religiosos, contra Episco- pos Jansenismo adversantes, contra Nuntios Apostolicos, contra Cardinales, contra ipsum Pontificem paucorum annorum spatio in lu- cem protrusit Quesnelliana factio, quàm Cal- viniana ibidem secta utroque seculo. Ex ejus autem præcipuè latibulo, velut ex equo Trojano profiliere tot opera tenebrarum, & scripta incendiaria, quibus non sola Bata- vica, sed omnes quodammodo Ecclesiæ Bel- gicæ conflagrarunt. Nihil ei operis tribuam, nisi